Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 1009

Quelle:
Copyright:

II. *fol.* 14. p. 2. Sequuntur Aſcetica breviora: 1) *Formula honeſte uite*, perperam a *Bernardo Silveſtri* ad *Claraevallenſem* translata, et ſaepe nobis memorata: *Petis a me* &c. 2) continuo adſcriptum, quod *Mauriani* T. *cit. col.* 799. adpellant *Arnulfi de Boeriis Speculum Monachorum*, quod nullo titulo, rubro incipit: *Si quis emendatioris uite deſiderio tactus* &c. 3) *De quadruplici morte. De tribus viribus anime. De triplici extaſi. De dilectione.* et plura ſimilia iis, quae in *Libro Sententiarum* T. *cit. col.* 771. habentur, et ſi penitioris indagationis pretium eſſet, reperirentur in *Hugonis a S. Victore* Operibus.

CCCCXXXIV.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 218. f. per duas columnas bene ſcriptus, coloribus illuſtratus, et prius, ut *fol.* 217. p. 2. notatur: *Monaſterij ſancte dorothee in wienna*, ſequentia includit: I. *Incipit Liber primus exceptionum collectarum de diuerſis opuſculis beati Bernardi egregij abbatis Clareuallenſ.* Additur in margine: *editus ab epiſcopo Zenonen. petro;* nempe *Petro Rogerio*, qui ex Archiep. *Senonenſi Clemens* VI. Pont. Max. fuit; ſed reclamant Literatores pro *Guilelmo Tornacenſi*, ut jam dixi *Vol.* I. P. 1. *col.* 1083. et repetam ad Codicem ſequentem. In praeſenti ante Prologum: R. 3012

Par eſt in verbis odoriferis id opus herbis.
Nempe gerit flores Bernhardi nobiliores.

Prologi initium dabo infra. Hunc excipit Index Capitum L. I. quod etiam per omnes X. Libros obtinet, et ſubjicitur:

Flagrat Bernhardus ſacer in dictis quaſi nardus,
Ex quibus hic tractus liber eſt in ſcripta redactus.

Lege *id odoriferis*, et *Fragrat*. *Fol.* 35. p. 2. monet in margine Miniator: *Hic deficiunt decem Capitula, que require in fine auctoritatum de beata virgine*, et reipſa ibi *fol.* 105. p. 2. comparent; pertinent vero ad L. V. inter C. XVII. et XXVIII. ut etiam Editio *Norimb. ſ. l. et a.* confirmat. Plura ad Codicem ſequentem.

II. *fol.* 109. *Incipit liber florum collectus et concinatus de diuerſis libris ſummi et imperialis doctoris Auguſtini.* Ante Prologum:

Prologus in verbis exhauſtis fonte beato
Preſulis aurelij ſalientis gurgite pleno
Sic Auguſtinum lector agnoſce vocatum
Hunc dum ſacra fides ſuſcepit fonte renatum.